

00 1/2

Wife No. 287

- 1) Gerbert, Joh.
- 2) Levarinus, Abr.
- 3) Chytricus, P.

P. VI. 74.


TRACTATUS
DE
PATIENTIA
ET CONSOLATIO
nibus in Cruce & cala-
mitate,

DAVIDIS CHYTRAEI
THEOLOGI ET HISTO-
rici immortalis.



ALTRNBURGI IN MISNIA,

Anno MD C XII.



EPIGRAMMA IN
PATIENTIAM.

SI viduo lugens thalamo, si prolis
ademptæ
Iactura: erepto si genitore doles
Si segetem exundans inuasit fluctibus Albis
Grandine si fruges: si perit igne domus
Si clandestinus dentem in te fixerit hostis:
Exiccet fauces si diuturna febris.
Si tibi contingit funestæ pestis in æstu
Degustare crucis turbida pocla simul
Si malè te vexat miserum nodosa podagra
Immanis si te calculus excruciat
Et quæ plura solent cum mente affligere Corpus
His medicina rogas, quæqueat vnde dari?
Vna dari Medicina potest PATIENTIA: & illa
Haudquaquam possit certior vlla dari.
SALVE aduersarum victrix PATIENTIA rerum
Et domitrix animi: tu mihi sola places
Seu me læta fovet SORS seu me exercet iniqua
Nunquam cultorem desere CHARA tuum.

A. S. D. S.

MA-

MAGNIFICIS,
STRENVIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS
VIRIS,

DOMINO CANCELLARIO ET RELIQUIS AVLAE SAXONICAE Altenburgensis Consiliarijs fidelissimis & longè dignissimis.

Gratiam & omnem tam animae, quam corporis salutem à DEO devotè precatur.

MAGNIFICI Nobilissimi & prestantissimi viri, Domini reverenter honorandi, fautores fideliter observandi & promotores singulariter estimandi:

A 2 an-

P R A E F A T I O.

annus effluxit vicesimus sex-
tus fere, cum libellus hic de
P A T I E N T I A secunda vice
R O S T O C H I I praelo subijce-
retur & per Autoris Generum
Clarissimum Dominum Io-
hannem Frederum parenti
meo de Ecclesia Christi suo loco
recte ut arbitror, tum quidem
merenti, nunc vero et a vobis
inscriberetur. Etenim cum
jussu huius ex inclyta Lipsen-
sium in celebrem Balbici lito-
ris Academia illam me con-
ferrem: licuit sane cum alijs
pietatis & liberalis doctrine
studiosis & mihi florem ali-
quem decerpere & fructum ca-

pere

P R A E F A T I O.

pere solidioris eruditionis
 quam in ROSETO illo Viri
 pietate, doctrina & ingenio
 praestantes plantabant & exco-
 lebant. In primis voluptum
 mihi fuit & in polissima ter-
 rena felicitatis meae parte sem-
 per reponetur, quod magnus il-
 le C H T T R A E U S me non ut
 discipulum habuit sed ceu fili-
 um amanter fovit meaque studia
 sacris literis addicta diligenter
 promovit. Accidit tum qui-
 dem divina dispositione ut
 ex hac mortali in caelestem vi-
 tam migraret mater mea
 charissima lue pestifera infecta
 & extincta, adeoque viduum

P R A E F A T I O.

patrem, me verò ac ceteram
scholam suam orphanos relin-
queret in luctu & tristitia in-
genti. Commodare itaq; vo-
luit is, qui curam tum mihi pa-
rens erat, illi quem natura pa-
trem dederat, inq; consolatio-
nem libellum de PATIENTIA
ipsi nuncupatum transmitti.
Munus profectò tale, quo op-
tatiùs & praestantius pio &
bono seni non potuisset ullum
contingere. Planè enim do-
lorem illum, quem ex gravi
vulnere. imò dixotomia hac in
senectute sua senserat caput
charissimum assidua lucubra-
tionum harum meditatione Spi-
ritu

rium Sancto παρὰ κληῶν coope-
 rante emolliuit & ad sustinen-
 dam fortiter cum patientia
 DEI hanc amaram quidem
 sed bonam tamen voluntatem
 animum erexit. Pij itaq; fa-
 cti huius recordatio cum in
 animo semper vigeat, nec pati-
 atur aut defuncti parentis aut
 C H Y T R A E I memoriam &
 benemerita mihi unquam excide-
 re: volui sane significationem
 quandam gratæ huius memo-
 ria publicè extare & ut aureus
 ille libellus recuderetur, curare:
 præsertim cum exemplaria
 Anno in frontispicio libelli præ-
 cedentis nominato impressa

P R A E F A T I O.

jam nulla superesse existima-
 verim. Ansam autem & oc-
 casionem dedit optimam Psal.
 nonagesimi primi explicatio,
 à me in hisce propter pestem v-
 biq; ferè grassantem periculosis-
 simis temporibus suscepta, cui
 M. & N. D. V. ipse interfue-
 runt. & ut in publicum dare-
 tur me vltro amanter admo-
 nuerunt. Et quia non potui
 non voluntati vestrae morem
 gerere, conciunculas illas tan-
 dem meas typis tradidi, anne-
 xis hisce de P A T I E N T I A
 pagellis optimè cum Psalmo
 explicato convenientibus. Quid
 enim homini Christiano lue

con-

P R A E F A T I O.

contagiosa undiq³ cincto magis
necessarium esse potest, quam
ut Patientiam discat atq³ exer-
ceat? Hac certè in omnibus æ-
rumnis & miserijs etiam ex-
tra pestis periculum pro optimo
nostro remedio & singulari
Spiritus Sancti dono habetur.
Et felix est ille qui adversa
quaq³ patientia vincere & vir-
tute superare didicit, ita qui-
dem ut in secundis non extolla-
tur & tristioribus non franga-
tur.

Nobilem itaq³ Tractatum
illum V. M. & A. D. seor-
sum dedicare libuit, tum quia

A 5 illas.

illas C H Y T R A E I & aliorum
 exquisiti iudicij Virorum praes
 clara monumenta in pretio ha
 bere scirem: tum vero, cum
 vestra erga me affectio & bene
 volentia eximia & singularis
 sit ut reverentiam, qua M. &
 A. D. V. vicissim devinctus
 sum, publica contestatione ali
 qua ex parte declararem. Insu
 per versione sequenti Germa
 nica etiam alijs auditoribus fi
 dei nostra demandatis publice
 inservire & prodesse volui: sit
 quidem doctis & indoctis pari
 ter patientiam summè necessa
 riam & maximè utilem esse,
 nemo inficias ibit. Multi qui-

dem

P R A E F A T I O.

dem se optimè Patientiam nosse
se & didicisse putant, sibiq;
constantiam & fortitudinem
singularem imaginantur, ubi
praesertim Iovis taxilli feliciter
cadunt & ipsis omnia ex voto
succeedunt: ast si quæ crucis tem-
pestas oboritur, videmus esse ad-
modum inconstantes & ti-
midos. Tum tandem imbecilli-
tatem agnoscere incipiunt, in-
formationemq; avidè petunt,
quomodo calamitates perse-
rendæ sint.

Qui itaq; instructione opus
habet, evolvat modò hanc CHR-
TRAEI PATIENTIAM: de qua
verissimè testari possû, quod me

in

P R A E F A T I O.

in multis adversis sapissime
sic instruxerit, ut ipsius suc-
cum & sanguinem laudatione
non satis exornare possim
Accipite itaq; Magnifici, No-
bilissimi & Amplissimi Viri
hunc libellum mole sua quidem
parvum, attamen dulcissima
consolationis copia vere ma-
gnum eo animo, quo vobis ille
a me offertur & vestram erga
me præclaram affectionem per-
petim retinete. Ut Reip. in-
clyti huius DUCATUS Vsi-
bus diutissime Salvi Sospites
& florentes conseruemini,
DEVM supplex nullo non
tempore veneror. Valet.

Al-

P R A E F A T I O.

Allenburgi ex meo Museo die
Abrahae anni exeuntis 1611.
Ut sequens novus toti Reip.
Christiane & nobis omnibus
& singulis, felix tranquillus
& salutaris veniat, ardentissi-
mis votis precor & exopto.

V. M. & N. D.

Observantis.

Abraham Svarinus D.
Superintend. ibidem:

(NB.)



(NB. Libuit hīs apponere dedica-
ti-nem Anni 1585. ad meum parentem
piè defunctum directam & publicè tum
impressam, ne planè interiret.)



Reve-

Reverendo Viro, doctrina &
virtute præstanti;

Dn. IOHANNI SVARINO,
SCEVDICENSIS ECCLESIAE

Doctori fidelissimo, S. D.

Johannes Frederus.

Virtutum generosa comes PATIENTIA palmam
Obtinet, extinguens tandem genus omne malo-
lac sine grata Deo virtus non vlla probatur: (rum.
Sive fides innixa Deo trepidantia firmet
Pectora, sive preces animo fundantur ab imo,
Sive Deo præstetur opus, quodcunq; requirit
Functio, seu vitæ spes æternæq; salutis
Soletur miseros: ita verè totius artis
Quæ studiosa Dei est, praxis Patientia fulget.
Virtutis tam pulcræ igitur præclara doceri
Et disci doctrina pijs à mentibus, omni
Afsiduè studio, varioq; in turbine rerum,
Omni in militia cunctorum in mole laborum
Fortunaq; omni, benè quæ superanda ferendo
Exercenda simul transferri debet ad vsum.

Hanc Socer explicuit facundæ flumine vocis:
Quam commune bonum fieri debere putavi.
Et quia, clare Dei præco, Vir optime, duris
æpe ministerj! Divini exercite fatis,
onjugis & prolisq; obitu, & mala multa ferendo,

Filius

DE
PATIENTIA.

TOTA hominum vita,
varijs & multiplicibus
crumnis & calamitati-
bus, & perpetuis curis, angori-
bus, alijsq; miserijs obnoxia est,
vt verè dixit Euripides ἰ βίῃ, ἀ-
λθῆς, οὐ βίῃ, ἀλλὰ συμφορᾷ.
Itaq; Ethnici etiam, ad tranquil-
litatem animi in vita privata, &
incolumitatem ac salutem Rei-
pub. tuendam, in primis patien-
tia opus esse viderunt. In eccle-
sia verò, nulla virtus DEO pla-
cens, non fides, non invocatio,
non obedientia DEO debita,
non animi tranquillitas & læti-
tia in DEO acquiescens, non spes

B vitæ

DE



vita & salutis æternæ sine patientia conservari aut retineri potest. ita ut verè patientiam totius Theologiæ & omnium virtutum Christianarum praxin & *κρηνην* esse dicamus. Studiose igitur huius virtutis doctrina à pijs cognosci, & in doloribus ac ærumnis, spiritualibus & externis, ferendo vincendis, ad usum transferri & exerceri debet.

Est autem **P A T I E N T I A** Christiana virtus, quæ in doloribus & ærumnis, moderatè & placidè ferendis, reverenter se voluntati Dei subijcit, nec inconcessa auxilia quærit, sed fide statuit Deum sibi propitium esse, & petit ac expectat auxilium Dei, mitigationem ac liberationem, & hac fide & spe dolorem lenit

lenit, & pacem ac læticiam in
corde sentit. Hæc qualiscunq;
descriptio vt illustrius evoluta
intelligatur, partes distingui pu-
eriliter possunt, primum in æru-
minis subijcere se voluntati Dei:
& sapientiæ ac justitiæ ipsius, cer-
to consilio nos punientis aut ex-
ercentis, non repugnare, ut Iob
inquit: Sicut Domino placuit,
ita factum est, Sit nomen Do-
mini benedictum, Psal. 37. Sub-
ditus esto DEO & ora eum. De-
inde, silere & vacare, non fre-
mere adversus Deum, non qua-
rere illicita præsidia, non attra-
here negotia aut pericula non
necessaria, ut in Esaia ad Regem
Achaz trepidantem dicitur: Vi-
de ut sileas, noli timere, Item
cap. 30. In silentio & spe erit for-

B 2

titudo

4

titudo vestra. Hic gradus patientiæ vicinus est priori, & cum vtroq; congruit Menandri dictum, dignum memoria,

και μη θεμάχη, unde προαγυ τῶ
προαγματι χενιῶνας ἐτέρας, & σ δ' αναγ-
καίς τερε. Tu cum Deo non pugna, aliasq; miseras non advoces, sed mala necessaria feras.

Tertius gradus est, fide agnoscere paternam benevolentiam Dei, imponentis nobis ærumnas ut sint signa non iræ sed gratiæ suæ, ac ut plurimæ & amplissimæ ex ijs utilitates ad nos redeant. Ebr. 12. Quem diligit Dominus corripit. Ps. 116 Calicem salutarem accipiam. Psal. 119. Bonum est mihi Domine quod afflixisti me.

Quintus, Petere à Deo & expecta-

pectare auxilium in calamitati-
bus, mitigationem ac liberatio-
nem. Psal. 49. Invoca me in die
tribulationis. Abac. 2. Si moram
fecerit Dominus expecta eum,
quia veniens veniet & non tar-
dabit:

Quintus, Moderari & lenire
animi dolorem, & in ipsis æru-
mnis pacem ac læticiam aliquã
in corde sentire, ut Stephanus ad
supplicium ibat orans animis &
spe sua damna levabat. E contra
Turni vita cum gemitu fugit in-
dignata sub umbras. De hac pa-
ce dicitur Phil. 4. Pax Dei, quæ
superat omnem sensum, guber-
net corda vestra.

Causæ impulsivæ, quæ ani-
mos nostros, ad patientiam in
ærumnis placido & tranquillo

B 3 pecto.

9
pectore præstandam flectere &
exuscitare debent, sunt manda-
ta DEI & CONSOLATIONES divi-
nitus propositæ: quas in tres lo-
cos generis suaviorij distribuere
possumus. Nam ad partes Ho-
nesti sex prima consolationum
capita referri possunt. NECESSI-
TAS obediendi severissimo man-
dato Dei, quod præcipit, ut in
ærumnis nos paternæ ipsius vo-
luntati patienter & æquo animo
subijciamus. Cum enim non
casu accidant nobis calamitates,
sed Deo sciente & certo consi-
lio permittente, qui nos pro pa-
terna bonitate sua, vel justis pœ-
nis castigat vel ærumnis exercet:
cumq; severè jubeat nos sub po-
tenti manu ipsius humiliari: ma-
nifestum est, nos neq; posse nec
debe-

debere ipsius sapientiæ & iustitiæ
repugnare. 1. Cor. 11. Cum ju-
dicamur à Domino corripimur
Pla. 36. Subditus esto Deo. Ebr.
10. Patientia vobis necessaria
est.

Etsi autem nondum integra
dolorum levatio est, scire non
casu nos morbis, morte, & alijs
calamitatibus, sed certo Dei
consilio & voluntate, cui parere
necesse sit, exerceri: tamen ne-
cessarium initiū & fundamen-
tum veræ & christianæ contola-
tionis est certò statuere nos Deo
curæ esse, & omnia quæ nobis
accidunt, secunda vel adversa,
Deo sciente & gubernante no-
bis evenire. Ideoq; humiliari
nos sub potenti manu Dei oport-
tere.

Faciunt autem Πάνοιοι
quoq; inter consolationes men-
tionem necessitatis, sed hi non
providentiam Dei & obedi-
entiam Deo debitam, sed immu-
tabilitatem solam inveniunt.
Cum enim dolendo & flendo
mutari & tolli non possint fata-
les miseræ: disputant eas placi-
dè ferendas esse, ne impatientia
duplicentur, & multò fiant gra-
viores, ut vulgò dicitur, Feras,
non culpes, quod mutare non
potes. Sic apud Homerum A-
chilles Priamum consolatur.

ἔνδ' ἴσ' πένθ' ἔσ' &c. Et Phocylides:
Μὴτ' ἐκ παροίχου μὲν ἔσ' &c.

Non crucies te propter mala,
quæ jam acciderunt. Nam fa-
ctum infectum fieri nequit.

Præcipuam verò & firmissi-

mam

mam levationem dolorum in
 ærumnis adfert. Fides certò sta-
 tuens Deum paterna benevo-
 lentia & amore nos propter fili-
 um suum Dominum nostrum
 Iesum Christum complecti, &
 in ærumnis verè nobis adesse, o-
 pem ferre, mitigare ærumnas &
 certo daturum esse æterna præ-
 mia. De his singulis quinq; con-
 solationum locis, singulæ pro-
 missiones verbi divini confide-
 rentur, quarum vim & efficaci-
 am ij demum experientur, qui
 in ærumnis fide eas amplexi fu-
 erint. Vt enim in Philosophia
 assensionem præcedit experien-
 tia: primum enim sentio ignem
 calere, postea credo: sic in The-
 ologia Fidem sequitur experien-
 tia, Prius enim credere oportet

me invocantem exaudiri & à Deo diligi & iuvari propter filium: postea primùm doloris levationem, & pacem ac letitiam conscientia sentio.

Paternum verò erga nos amorem suum, Deus hoc certissimo *tempore* declaravit, quòd filium suum unigenitum pro nobis hominem fieri, pati & mori voluit, ut nos Dei filij & vitæ æternæ hæredes efficeremur. Rom. 8. Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cum illo nobis donasset? Quis nos avellet à dilectione Dei? certò persuasum, quòd nulla afflictio, aut angustia, aut persecutio, separare nos possit à dilectione Dei, qua

qua nos diligit in Christo Iesu
Domino nostro.

De praesentia Dei in ærumnis
clare dicitur Ps. 90. Cum ipso
sum in tribulatione. Plal. 34.
Propè est Dominus his, qui tri-
bulato sunt corde. Ut enim Sol
in hyeme, cum ad perigeum
convenit, etsi longissimè à nobis
abesse videatur, tamen terræ pro-
ximus est: ita Christus Sol justi-
ciæ, nunquam propius adest pi-
js, quàm cum in ærumnis planè
ab eo deserti esse existimantur,
sicut Iacob in lucta se omnino
desertum esse à Deo putans: in
amplexu & gremio filij Dei se
hæerere animadvertit.

De auxilio Dei corroboran-
tis pios, ut perferre onus miseri-
arum ipsis impositum possint.

I. Cor.

1. Cor. 10. Paulus inquit, Fide-
 lis Deus, qui non sinit nos tenta-
 ri supra vires, sed dat cum tenta-
 tione exitum, ut sufferre possi-
 mus. Constat autem consolatio
 in illustri hoc Pauli dicto propo-
 sita, duobus argumentis, quorū
 prius à natura Dei sumitur: qui
 ut Arithmeticam æqualitatem
 servat in accusatione peccati &
 se omnibus ad coelestis gratiæ
 consecutionem æqualitate li-
 brata patrem præbet, ut Cypri-
 anus loquitur: sic in distributio-
 ne rerum avarum & tentationum
 custos est Geometricæ æqualita-
 tis, tribuentis unicuique *κατά
 δύναμιν* pro viribus. Et quoni-
 am conscius nostre infirmitatis,
 scit quid quæque ferat persona,
 quid quæque recuset, ita sapien-

ter

ter & clementer moderatur
 vim tempestatū & concursum
 calamitatum, ne vel magnitudo
 tentationum nos evertere, vel
 varietas vincere, vel diuturnitas
 frangere possit, ac summis illis
 & robustis Heroibus ac lumini-
 bus ecclesie Paulo, Eliae. Davi-
 di, Ieremie, Iobo, & similibus
 molem multo graviolem im-
 ponit, quàm nobis imbecilliori-
 bus, quos tamen assidue sua ope
 & spiritu Sancto adjuvat & con-
 firmat, ita ut quò plures in nos
 pavores & pericula impendent,
 eò efficacius nostram infirmita-
 tem consoletur & sustentet, sicut
 Psalm. 68. dicit: Onus impo-
 nit nobis Deus, & tamen est sa-
 lus nostra, & 2. Cor. 1. Vbi a-
 bundat afflictio, ibi abundat &

con-

consolatio Psal. 49. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lætificaverunt animam meam. Nahum 1 Bonus est Dominus & confortans in tribulatione. Posterius argumentum concionatur de Exitu, quem etsi in ærumnis non statim cernimus: ut Moyses stans ad mare rubrum nõ prospiciebat modum liberationis: tamen repugnemus diffidentia, & sperantes lætam catastrophem, constanti fide expectemus consilium D E I, q̄ est, differre liberationem, & hac mora exercere fidem invocationem & patientiam, & alio modo liberare, quàm nos in hac imbecillitate nostra cogitamus vel optamus. Nam Deus est fidelis

pro-

promissor, & largus dator, ut Au-
gustinus in Psal. 40 loquitur.

De mitigatione. Psal. 84 in-
quit : Mitigasti omnem iram
tuam, ne exardescens instar i-
gnis planè nos, sicut merentur
peccata nostra, consumat Thre.

3. Misericordiae Domini quòd
non consumpti sumus.

De secutura liberatione &
aeternis præmiis integre contio-
nes Pauli Ro. 8. 2. Cor. 4. 5. &
alibi legantur. Cùm enim De-
us in hac vita liberationem se-
pè differat : tamen fides nihilo-
minus in benevolentia Dei pa-
terna, propter Christum pro-
missa, adquietcere, & in exiguo
hoc vitæ curriculo & per brevi
patienter aliquas molestias fer-
re, & certò aeternam vitam, &

glori-



gloriam expectare debet. Ut enim ancora in mare iacta non sinit navem fluctibus agitari, etiamsi contrarii venti spirent, sed eam probè figit & stabilic: ita & spes vitæ æternæ victrix est omnium pavorum & trepidationum. Hac fide & spe confirmatus Iob inquit: etiamsi occiderit me, sperabo in eum. Et si autem hanc fidem de benevolentia & liberatione & gloria æterna certò secutura, retinere prementibus ærumnis & proposita morte difficilimum est: tamen pii sciunt hoc fidei exercitium Ecclesiæ proprium decus esse, & à spiritu sancto hanc assensionem & fidem in cordibus iustantium invari et confirmari.

Præ-

Præterea levant dolorem
 EXEMPLA filij Dei & omnium
 sanctorum luminum Ecclesiæ,
 Abelis, Abrahæ, Iosephi, Davi-
 dis, Ieremiæ, Iohannis Baptistæ,
 & omnium Apostolorum ac
 martyrum, quos oportuit con-
 formes fieri imaginis filij DEI in
 cruce, ut etiam simili gloria or-
 nentur. Filius Dei innocens a-
 cerbissimos cruciatus ignominie
 & mortis pro nobis sustinuit.
 David â filio pulsus in exilium,
 horrendam molem infamiæ, &
 tristissimarum calamitatum, su-
 is peccatis attractam, perfert.
 Paulus, Athanasius & similia lu-
 mina ecclesiæ, acerbissima mun-
 di odia, contemptum, calumni-
 as, infamiam, exilium & suppli-
 cia tollerarunt. Pudeat igitur

C

nos

nos nostræ injusticiæ & superbiæ
 quod exiguam nostræ opinionis
 jacturam pati nolumus, & ea o-
 nera reulamus, quæ alij longè
 nobis virtute, sapientia & sancti-
 tate antecellentes sustinuerunt.
 Huc omnia illa dicta referri pos-
 sunt *ιλ. φ. κατ' ενανε και Πα' ερ-
 κλ. ο' περ' σεο πολλον α' μείνων.*
 Thucyd. *Ιστοριαι των κακων, &c.*
 Cicero: Nihil est præcipuè cui-
 que dolendū, quod accidit vni-
 versis, levat enim dolorem com-
 munis quasi legis & humanæ
 conditionis recordatio.

Minuit etiam mœsticiam
 bona conscientia, cūm scimus
 nos propter justitiam & Christi
 veritatem pati: nec nostris sce-
 leribus calamitates attractas esse

i. Pet.

1. Petr. 3. 4. Nemo nostrum pa-
 tiatur vt fur aut latro, & sæpe ci-
 tatur Chrysofomi dictum:

ἔδιν οὕτως ἐυφραίνειν ἡμᾶς εἶπεν, ὡς τὸ
 συναδελφικὰ καὶ ἐλπίδες ἀγαθαί.

Quod si vulnerata est conscien-
 tia aliquo lapsu, ut Manasse in
 carcere, Israelitæ in exilio Baby-
 lonico, meritas pœnas sustinent:
 tamen ab omnibus peccatorum
 sordibus liberatur & pura & trā-
 quilla redditur conscientia fide
 confugiente ad filium Dei, qui
 pro nobis peccatum factus est, vt
 nos iustitia DEI in eo efficeremur

Flectat nos ad Patientiam in
 ærumnis studiosius exercendā,
 ipsius etiam Patientiæ dignitas,
 cui hoc summum decus tribuit
 Deus quòd sit sacrificium & cul-
 tus DEO gratissimus, quo DEUS

C 2

præci.



præcipuè delectetur & honore
afficiatur. Psal. 50. Sacrificium
DEO spiritus tribulatus. Rom. 12.
Exhibete corpora vestra hostiã
viventem, sanctam acceptam
DEO, rationalem cultum vestrũ.
Tanta etiam Fidei in DEUM &
confessionis dignitas est, ut pro-
pter ærumnas nequaquam ab-
ijcienda, sed omnibus rebus se-
cundis & adversis vitæ ipsi ante-
ferenda est, Matth. 19.

Postremò ad obedientiam
DEO in ærumnis patienter &
placidè præstandam, amplissi-
marum utilitatum consideratio
nos inducat. Etsi enim rationis
humanæ iudicio, calamitates &
ærumnæ, non modò inutiles &
malæ nobis esse, verum etiam
turpes & perniciosæ existiman-
tur

tur: tamen ex oraculis verbi divini, & luce per spiritum sanctū in nostris mentibus accensa discimus, crucem & ærumnas, res bonas, utiles & piis salutares esse, vt Psal. 119. dicitur: Bonum est mihi Domine, quod afflixisti me. Psal. 116. Calicem salutarem accipiam, nominat enim calicem, demensum ærumnarum, quas cuiq; Deus imponit Rom. 8. Diligentibus Deum omnes ærumnæ cooperantur in bonum, seu bonæ & salutares sunt. Ebr. 12. Castigat nos pater, *ἵνα τὸ συμφέρον*, ad commodum nostrum, ut participes simus sanctimonix ipsius. Hæc igitur sententia firmissimè animis infigatur: Deum non inimico & hostili animo, sed paterno



amore imponere nobis crucem,
non ut excruciet & perdat nos,
sed ut nobis proffit & beneficiat,
& **UTILITATES** amplissimas
adferat.

Primum enim omnes cala-
mitates, sunt Schola Pœnitentiæ
& pædagogia ad Christum &
ad æternam salutem. Nam præ-
cipuè eam ob causam DEUS præ-
mit nos ærumnis, ut cognita ip-
sius ira adversus nostra peccata,
pœnitentiam maturè & seriò a-
gamus, & verè ad ipsum conver-
si, vitæ ac salutis æternæ partici-
pes fiamus. Verè igitur ἀπολώμεθα
ἂν εἰ μὴ ἀπολώμεθα. Nisi DEUS in
calamitates nos abijceret, in æ-
ternum periremus, quia pœni-
tentiam non ageremus. I. Cor.
II. Cum judicamur seu puni-
mur

mur, à domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Thren. 3. Non humiliavit ex corde & abiecit filios hominum sed ut scrutemur vias nostras, & revertamur ad dominum in cœlis. Filius prodigus, egestate & inopia pressus, resipiscit. Manasses in carcere, Israelitæ in deserto icti à presteribus, redeunt ad DEUM. Multi fures, latrones, occasione suppliciorum pœnitentiam agunt, qui alioquin nunquam ad DEUM conversi fuissent. Psal. 83. Imple facies eorum ignominia, & quærunt nomen tuum Domine. 1. Cor. 11. cum punimur, à Domino castigamur, ne cum hoc mundo damnemur.

Deinde Fidem nostram, seu

C 4

veram

veram agnitionem Christi & fiduciam in Deo acquiescentem, crux & ærumnæ multifariam probant, exercent, exulcitant, & ardentio rem ac firmiorem reddunt: cum in rebus secundis, & notitia voluntatis divinæ obscurior, & fides languidior fiat, & mentes ac corda hominum læta & secura negligant Deum, & suæ sapientiæ & cupiditatibus frenos liberius laxent, & sua sapientia, potentia, opibus, amicis, magis quam Deo confidant, & paulatim prorsus amittant & extinguant fidem. Ideo variis tentationibus nos exercet Deus, ut exploratio fidei nostræ, multò preciosior auro, per ignem probato, inveniatur in laudem & gloriam Dei. I. Petr. I. Scilicet

ut

vt fulvum spectatur in ignibus
aurum, Tempore sic duro est ex
perienda fides, & præsens per
ipsas lucet ærumnas fides.

Postea sunt schola veræ, seriæ
& ardentis invocationis DEI,
quam vult Deus à nobis exerce-
ri. vt DEUM non esse inane no-
men, nec negligere homines,
sed verè adesse nobis præsentem
& opitulatorem, & in tantis mi-
serijs opem ferre invocantibus,
agnoscamus & profiteamur.
Quare præcipuus DEI cultus est
Invocatio, & firmissimus murus
ac præsidium Ecclesiæ, quod in
schola crucis præcipuè requiri-
mus & vsurpamus, vt in Ieremia
dicitur: Affixit nos, vt levemus
corda nostra cum manibus in
coelum, Esa. 26. Domine in an-

C 5 gusti

gratias requisierunt te, in tribulatione invocant te. Cumq; in ærumnis, & liberationibus mirandis, consolationem divinam, & Dei præsentiam & auxilium experimur; ardentior etiam gratitudo erga Deum, & celebratio misericordiæ, & veritatis ac omnipotentia divina, in cordibus accenditur. Psal. 49. Invoca me in die tribulationis. & eripiam te & tu glorificabis me.

Præterea, reliquias peccati, adhuc in sanctis etiam hærentes, ut vitiosas inclinationes ad carnalem securitatem, superbiam, amorem, voluptatum, gloriæ mundanæ, opum, vitæ, iracundiam, odia, fiduciam propriarum virium, &c. erumnæ compescunt & reprimunt, & paulatim ex-

tin.

tingunt & abolent. Prohibent
futuros lapsus, & ad timorem
DEI, iusticiam, modestiam, &
omnium virtutum officia dili-
gentius colenda homines exuf-
citant. 1. Petr. 4. Qui patitur in
carne, is desinit peccare, ut dein-
ceps non juxta concupiscentias
humanas, sed juxta voluntatem
DEI ambulet. O beatum igitur
servum illum, cuius emendatio-
ni Dominus instat, cui dignatur
irasci, quem admonendi dissi-
mulatione non decipit, inquit
Tertullianus: Nam cui verè pro-
pitius est DEUS, non solum donat
peccata, ne noceant ad futurum
seculum, sed etiam castigat, ne
semper peccata delectent. Nec
tantum punit, quia peccatū est,
sed ne deinceps peccetur. Esa. 27

Hæc

Hæc est utilitas afflictionis: ut auferatur peccatum eius.

In primis verò, ad frenandam agnitione propriæ infirmitatis & sordium, & deponendam admirationem sui, & superbiam magnifacientem se, & propter dona ingenij, virtutum, doctrinæ, opum, supra alios efferentē, & ad veram humilitatē & modestiam animis infigendam afflictiones profunt. 2. Cor. 12. Ne excellentia donorum efferer, datus est mihi stimulus in carne: Angelus Satanæ, qui me colaphis cederet, ne efferer. Ut Ethnici etiam dixerunt: καλεπώτερον εἶναι τὰ ἀγαθὰ καλῶς φέρειν, &c. multò difficilius esse res secundas rectè ferre quàm adversas, quia illæ insolentiam & superbi-

am

am in plerisq; pariant: hæ modestiam & continentiam in omnibus efficiant. Sunt enim schola sapientiæ agnoscentis propriam infirmitatem, & continentis se intra metas sui muneris, & majori diligentia & circumspectione singula totius vitæ consilia & actiones regentis. cum e contra res secundæ excoecent, & fatuas ac stultas reddant mentes hominum, vt in consilijs errent, & stulta fiducia propriæ sapientiæ & potentiæ moveant injusta, & sibi, ac alijs poenas accersant. Syraci. 34. Qui non est tentatus, qualiâ scit? Prover. 29. Virga & correctio tribuit sapientiam. Huc pertinent vsitata proverbialia, *παθήματα μαθήματα* Quæ nocent, docent. Vexatio dat intellectu.

telle-

tellectum auditui, seu docet attendere verbo & dulcissimis consolationibus, in verbo DEI propositis, quas tranquillis & prosperis temporibus ferè oscitantes præterimus, in afflictionibus verò & ærumnis avidè & attentè legimus, & accuratè consideramus, & rectius intelligimus, & ad vsum in veris exercitijs fidei transferimus. Psal. 118. Bonum est mihi Domine quod afflixisti me, vt discerem iustificationes seu doctrinam tuam, cuius veritatem & certitudinem etiam aliqua ex parte demonstrant persecutiones & aliae miseriae, quæ ut vmbra corpus, in sole ambulans, confessionem veræ de DEO doctrinae semper comitantur. Psal. 116. Credidi.

pro.

propter quod locutus sum, ego
autem afflictus sum valde. Sunt
etiam testimonia immortalita-
tis, & secuturi iudicij, & confor-
mes nos reddunt imaginis filij
DEI, Domini nostri Iesu Chrtisti,
cum quo vnà pati & mori nos in
hac vita oportet, vt vna cum il-
lo reviviscamus & glorificemur.
2. Cor. 4. Semper nos qui vivi-
mus, in mortē tradimur propter
Iesum, vt vita Iesu manifestetur
in nobis, seu vt manifestum te-
stimonium sit, certo secuturam
esse vitam propter Iesum Chri-
stum promissam. Cū enim
norma iusticiæ DEI certa & im-
mota sit, vt pijs tandem benè sit,
& malis malè: Pij autem in hac
vita multo majori mole æru-
mnarum, quàm reliqua impia

multi

multitudo onerentur : necesse est aliud iudicium & aliam vitam restare, in qua pii præmijs, divinitus promissis, læti fruantur.

Plurimas etiam alias utilitates ærumnæ in hac civili consuetudine vitæ adferunt. Nam & tolerare placidè aliorum hominum infirmitates, & iniurias patienter ferre adsuefaciunt, ut Socrates dicebat, se domi suæ patientiam discere, qua postea ad Reipub. tranquillitatem & salutem vteretur : & ad exuscitandam in nobis *Cura ad Deos* seu misericordiam, qua sensu alienarum calamitatum serio afficiamur, & opitulari calamitosi probabili ratione cupiamus, profunt. Ut enim illa non ignara mali, miseris succurrere discit : ita omnes

con.

conflictati ærumnis, & cogitan-
 tes vetus dictum, Aut sumus,
 aut fuimus, aut possumus esse
 quod hic est: & benigniores
 sunt in alijs iuuandis, & facilius
 flectere ad patientiamoc & nso-
 lari miseros possunt. Nam vt in
 veteri carmine est, *τέρων γέροντι
 γλώττιον ἰδὲ ἰστέον ἔχει, Νοσῶντι
 ἄνευ νοσοῦντι,* &c. Profunt etiam ad
 gravitatem & constantiam ac
 æquabilitatem animi augen-
 dam & confirmandam: Sicut
 Apostolos in persecutionibus
 firmiores redditos esse videmus.
 Præterea humile genus vitæ,
 mediocribus molestijs & mise-
 rijs conditum, multò tutius &
 tranquillius est, quàm sum-
 mum dignitatis & opum fasti-
 gium, in quod multi tolluntur,

D

vt

vt lapsu graviore ruant, sicut ille
 apud Senecam queritur. Quid
 me, potens fortuna, fallaci mi-
 hi Blandita vultu, sorte conten-
 tum mea, alte extulisti, gravius
 ut caderem, edita receptus arce.
 Vive tibi quantumq; potes præ-
 lustria vita, sævnm prælustri
 fulmen ab arce venit. Vir-
 tus etiam & pietatis decus in re-
 bus adversis multò illustrius
 conspicitur & fulget, quàm in
 rebus secundis. *Εν γὰρ δυσυχίαις*
διὰ λάμπει τὸ καλόν. Tamen per ipsas
 lucet ærumnas decus. Cumq;
 omnia desiderata magis quàm
 assiduè percepta iuvent: multo
 maiore cum suavitate & grati-
 tudine fruimur ijs bonis, quibus
 aliquandiu carendum fuit,
 quàm alijs, quæ nunquam
 ami-

amissimus, ut civibus Ierosoly-
 mæ, post solutam, cæso exerci-
 tu Senacheribi, obsidionem,
 multò dulcius est pacis bonum,
 quàm antea rebus tranquillis.
 Deniq; ut viatores, varijs mole-
 stijs vexati domum properant:
 ita in hoc brevi mortalis vitæ
 cursu, Deus multis arumnis pi-
 os exercet, & plerisq; huius vitæ
 bonis privat, ut ardentiore desi-
 derio æternam & cœlestem pa-
 triam expetant, & in æternis
 bonis acquiescant. Est igitur
 postrema & præcipua utilitas
 ærumnarum, æterna læticia &
 gloria, qua ex omnibus huius
 vitæ miserijs & morte ipsa elu-
 ctati, quæ felix transitus de la-
 bore ad refrigerium, de expe-
 ctatione ad præmium, de ago-

ne ad bravium, de morte ad vitam, de fide ad noticiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem est, ut in vita Bernardi defirmitur: divinitus ornabimur, & fruente conspectu & consuetudine Dei, & filij ipsius Domini nostri Iesu Christi, omniumq; angelorum & totius Ecclesie celestis, divina luce, sapientia, iusticia & vita a Deo ipso, qui erit omnia in omnibus, complebimur, & laeti Deum in omni aternitate celebrabimus. Glorificabimur enim cum Christo, si tamen una cum eo patiemur, Rom 8. Cum autem omnes aternam salutem, & gloriam, & Ecclesie celestis societatem expetamus: nec alia ad eum via pateat, quam



quam CRUX CHRISTI, VE
 dicitur: Per multas afflictiones
 oportet nos ingredi in regnum
 Dei: patienter huius necessarij
 itineris labores toleremus, do-
 nec ad optatum finem & por-
 tum vitæ & gloriæ æternæ per-
 veniamus. Momentanea enim
 levitas afflictionis æternum
 pondus gloriæ parit. Hunc fi-
 nem & portum nostrarum mi-
 seriarum assiduè in omni vita in-
 tuemur, de quo è fontibus eccle-
 siæ sanctorum Patrum ad Eth-
 nicos etiam emanarunt hæ sen-
 tentiæ Orphei: *Εὐσεβίαν γὰρ αἰεὶ τὸ τέλος
 γλυκερώτερον ἐστίν.* & Platonis lib. 10.
 de Reb: *ἔτι καὶ ἄρα ὑποληπείων ὡς
 τὰ δίκαια ἀνδρῶν, ἕαντ' ἐν πνία γίγνηται,
 ἕαντ' ἐν νόσοις ἢ ἰανι ἀλλὰ τῶν δοκῆται
 κακῶν: ὡς τὰ τῶν πάντων εἰς ἀγαθὸν τελευ-
 τήσῃ ἢ τῶν ζῶντι ἢ τε καὶ ἀπεθανόντι.*

D 2

Non

Non autē possunt humanae voluntates placidam & aliquo modo voluntariam obedientiam Deo, in magnis praesertim doloribus praestare, solis humanis viribus, sine spiritu sancto, qui ideo nominatur paracletus seu consolator, quia voluntates & corda piorum in ærumnis pietatem comitantibus confirmat & sustentat. Non potuisset Iohannes Hussus Constantiae supplicium ignis, aut quod maius est, sapientissimorum, & virtute, doctrina, & potentia praestantissimorum ex toto orbe Christiano hominum, qui in concilio convenerant, iudicia & damnationem sustinere, nisi peculiari robore ipsius animus à spiritu sancto confirmatus fuisset.

ter.

set. Sic omnium martyrum
 patientia in supplicijs & læticia
 Laurentij, Agathæ, Agnetis,
 Stephani, singularia SpiritusSan-
 cti opera sunt. Promittit autem
 Deus auxilium Spiritus sancti
 omnibus qui doctrinam à Deo
 traditam, amant, discunt, fide
 amplectuntur, & hunc guber-
 natorem & paracletum à Deo
 petunt, Luc. 11. Quanto magis
 pater vester dabit Spiritum san-
 ctum petentibus. Hactenus de
 causis efficientibus & impulsivis,
 seu fontibus consolationum
 diximus paulò prolixius. Nunc
 cæteras methodicæ explicatio-
 nis partes brevissimè addemus.

Sunt enim materia circa
 quam moderandam & placidè
 ferendam, versatur Patientia,



primùm Animi dolores, curæ,
 sollicitudines, luctus, angores,
 metus & terrores iræ DEI,
 mortis, & suppliciorum præsen-
 tium vel æternorum, qui cruci-
 atus omnium maximi & acer-
 bissimi & verè carnificina homi-
 nis sunt. Deinde FAMAÆ peri-
 cula, contemptus, ignominia,
 obtrectiones, odia, calumniæ,
 conuicia insciæ, stultitiæ, igno-
 bilitatis, inopiæ, & similiū: quo-
 rum illa sedatè & placidè tole-
 randa, hæc prorsus contemnēda
 sunt, & nihilominus Deo grata &
 Ecclesiæ ac alijs salutaria con-
 stanter iuxta vocationem faci-
 enda sunt. Heroicum est enim,
 benemerentem de alijs malè au-
 dire. & maximè in Ecclesia de-
 cet, quod de Severo Imp. scri-

ptum

ptum est, ἐμμελῆ εἶναι τῶν πρῶτα.
 κλέων : αμελῆ δὲ τῶν ὀπίσθιων αὐτῶν
 λογοποιμένων, intentū esse in
 ea quæ sunt agenda, & aliorum
 de se fabellas negligere Terti-
 um patientiæ obiectum, sunt
 corporū incommoda morbi, de-
 formitas, vires languidæ, carce-
 res supplicia, & mors ipsa. Po-
 stremò externa mala, vt bella,
 incendia, sterilitates, inopia, fa-
 mes, mala vxor, perfidi amici,
 obitus carorum, naufragia mer-
 cium, & cætera, quæ facultati-
 bus nostris & bonis huius vitæ
 corporalis exitum afferunt. de-
 niq; vt Euripides in Oreste ait:
 οὐχ ἔστι δένδρον ὡδ' εἰπένεπθ, οὐδέ
 πάθθ, οὐδέ συμφορὰ θεήλατθ ἢ
 ὅτι ἀνάραιτ' ἀχθθ ἀνθρώπου φύσθ.

Forma patientiæ in definiti-
 one utcunque indicata, sed mul-
 tò illustrius in splendida illa
ἡρεσων ἡρεσων Tertulliani verbis
 expressa est: Vultus illi tranquil-
 lus, & placidus; frons pura, nul-
 la mœroris aut iræ morositate
 contracta est: remissa æquè in-
 lætum modum supercilia: ocu-
 lis humilitate non infelicitate
 deiectis. Ostaciturnitatis hono-
 re signatum: color qualis secu-
 ris, & innoxius: motus frequens
 capitis in diabolum & minax ri-
 sus: cæterum amictus circum-
 pectora candidus & corpori
 impressus. Sedet enim in throno
 spiritus eius mitissimi & man-
 suetissimi, qui non turbine glo-
 meratur, non nubilo livet, sed
 est teneræ serenitatis, apertus, &
 sim-

simplex, quem tertio vidit He-
lias. nam vbi Deus, ibidem &
alumna eius patientia.

Quæ quidem hoc fine petissi-
mum [expetenda] & religiosè
colenda est, vt paternæ volun-
tati & mandato ac exemplo Dei
reverenter obediamus, & debi-
tum hunc cultum ac sacrificium
Deo gratissimum offeramus.
Psal. 50. Sacrificium Deo cor
contritum & humiliatum Ro.
12. Exhibete corpora vestra vi-
ctimam sanctam, viventem,
placentem Deo. Deinde vt fi-
